

Tunc vero suus matrimonio coastat honos, cum ad diuinam voluntatem conformatur. Quomodo itaque probaueris, apostolos polygamiam tolerasse? Vetustissima Christianorum scripta tantum abest, vt polygamiam probent, vt disertis potius et ponderosissimis verbis damnent. \* Quidni damnauerint eam apostoli? Et quam imbecillis ac infirma ratio ea est, propter quam, eam tolerasse et tolerare oportuisse, dicuntur? Nisi, inquis, tolerassent, foemina illa, quam, ex apostolorum sententia, missam facere coactus fuisset maritus, magistratum auxilium implorando, multum molestiae marito suo, apostolis et vniuersae rei christianaee faceſſere potuifet! Fac potuisse! Num vero apostoli ii erant, qui, quae turpia et lege vetita erant, vt ſibi ſuisque conſulerent, vel faciebant ipſi, vel aliis facienda indulgebant? Aliter longe omnino ſentiebant. Rom. III. 8. Sed nec poterat quidem: ſiquidem non magnae magistratui curae eſſe solebat matrimonium. Per illum maritus coniugem ſuam repudiare et a ſe dimittere facile poterat. Haec cauſa maritorum arbitrio committebatur vt plurimum, tantum abeft, vt cognoscendam eam posceret ſibi magistratus. \*\*

§. 10. His disputatis, quae mihi circa hunc locum ſedeat ſententia, accipite. Vſurpatam a Paulo loquendi formulam ex earum eſſe arbitror numero, ad quas recte intelligentias figuram illam, quam euphemiam rhetores dicunt, vt adhibeamus, neceſſe eſt. Latet in his verbis mariti honesti honeſta, verecunda, et aures honeſtas non offendens periphrasis. Hoc velle ſibi Paulum statuo: "Abit a clericō per "omnem modum, vt, vagis amoribus indulgens, in adulteriorum et ſcortationum flagitia aut eorum ſuspicionem etiam prolabatur. Sancta potius et illibata ratione, quam ſemel thalami ſociam ſibi elegit, amet diligatque, vel, ſi viduus "nunc

\* Vid. IACOBI I. c. §. XXI. p. 233.

\*\* Conf. SELDENVS de vxor. hebr. lib. II. 24. BOEHMERI ius eccl. Tom. IV. Tit. XIX. §. XLIV. p. 385. BRVNINGS antiqu. gracc. cap. VI. §. 14.